vice opiniunculam hanc, tàm infirmâ innixam deſtinâ ac tibicine, quin de muſto & lacu adhuc ferventem recenti ſuſpendiſſe paxillo. An *Papæ Romano* palpum obtrudere voluerint, equidem dubito. Nobis placet illud *Poëtæ:*

- - - non ſi quid turbida Roma
Perſ. ſat. 1. *elevet accedas, examenve improbum in illa*
caſtiges trutina, nec te quæſiveris extra.
nam Romæ quis non? ah ſi fas dicere! ſed fas.

Brigthma. R. Gaon. à Lapide. R. Jachiad. v. Menaſſeh de Ter. vitæ l. 1. ſect. 1.

§. 24. III. Denique depingitur *à termino fatali* ac θεηλάτῳ: וְהִצְלִיחַ עַד־כָּלָה זַעַם כִּי נֶחֱרָצָה נֶעֱשָׂתָה *Et proſperè aget, usquedum furor ejus conſummatus fuerit. ita enim eſt prædefinitum* Sunt qui ad Deum hæc referunt. *Jarchi:* עד שוב אף הקבה משראל *usq; dum ira Dei ab Iſraël recedat.* ſed perperam! Terminus proſperi ſucceſſus ei figitur verbo: חרץ quod *de vitæ pauſa* occurrit *Job. XIV. 5.* חרוצים ימיו *dies vitæ* cuilibet *homini* ſunt *prædefiniti:* ita comentatores ex *Ebræis R. Salomo Jarchi & R. Levi ben Gerſon:* קצובים ומוגבלים *ſtatos ac determinatos*, interpretantur è *Græcis Septuagintaduumviralis*, ἀριθμητὰς. *Polychronius* ὡρισμένας. *Julianus Halicarnaſſenſis* παραφράζει: τὰς τῆς ζωῆς ὅρους πληρῶσαι, οὓς περὶ ἑκάστου ἔπηξεν ἡ δίκαια τοῦ θεοῦ πρόνοια. *vitæ periodum adimplere, quam unicuiq; juſta Dei providentia fixit. Raſi:* כשתכלה גזירתו *quousq; ſupremum fatum impleatur* כי כמו כאשר. *quòd* ei eſt præordinatum. Et hæc ratione præſcientiæ Dei omnituentis intellecta volumus, quæ nullam rebus *fatalitatem*, aut *neceſſitatem*, quam vocant, *conſequentis* imponit, ſed *conſequentiæ* tantùm, ſeu *ex immutabilitate ſuppoſiti* oriundam. Videnda catena *Pp. Græcorum in Jobum*, quam è Bibliotheca *Oxonienſi Bodlejana* primus *Græcè* edidit, *Patricius Junius*. Atque hactenus *Daniel* κατὰ πρόληψιν & ὡς ἐν τύπῳ *Antichriſtum Eccleſiaſticum* delineavit.

§. 25. Porrò κατ᾽ ἐπεξήγησιν ſingula membra totidem verſibus diducit. v. XXXVI. *faſtum* exaggerat *tyrannicum:* וְעַל־אֱלֹהֵי אֲבֹתָיו לֹא יָבִין וְעַל־חֶמְדַּת נָשִׁים *Et Deum Majorum ſuorum inſuper habebit*, nec *deſiderium mulie-*